

Letter 102: [Summer 1521, Halle?], Capito to Bonifacius [Wolfhart?]

There are two copies of the manuscript in the Universitätsbibliothek, Basel, Ki. Ar. 25a, 145 (draft) and 130 (neat copy). The text used here is that of the neat copy. Both versions are incomplete and undated, but the reference to the Diet of Worms serves as a *terminus post quem*. The text is partially printed in J.V. Pollet, *Martin Bucer: Etudes sur la Correspondance II*, 267-8.

5 Scrinia mea schedulis inutilibus, quas plurimas Wornatiae ab amiculis accepi, repurgaturus, nuper recognovi et excussi et forte incidi in litteras tuas. Agnovi characteres utpote elegantes et tersas, aperui actutum et legi animi causa tanquam colloquiturus veteri amico. Dii boni, quanta dignitate agis, quam blande arguis ignaviae! Quam amice mecum expostulas de abdicato officio concionatoris. Rem esse vehementer indignam perire aulicae consuetudini, hoc est, officinae imposturarum, tantum ingenium, tantum usum hactenus atque exercitationem sacrae dictionis. Rem sane esse absurdam ita gravem et integrum virum (cuiusmodi me vel serio vel fecte, quod est verosimilius existimas) versutiis et dolis, hac qua sim aetate, insolentem navare operam. Ineptissimum vero hanc veritatem, auctoritatem, constantiam quae exemplo esse debeat, sic infici novo hoc et inauspicato genere vivendi, inter moriones purpuratos, inter adultores et fucos hominum. Sicque per omnia curris, sed extra metam, quasi ego essem aliquid, et quasi aula bonum virum vix patiatur (iuxta illud: *exeat hic aulam qui cupit esse pius*), videlicet aut amice ludens tenuitatem, inscitiam, et vitia innumera Capitonis, aut adhortationis causa, quod non inesse noris, benignius aliquid affingens, ut sic adderes cessanti calcar. Nam apud amicos liber esse soleo.

15 Quibus perlectis me invasit acris quadam cogitatio praeteriti temporis, superioris consilii, studiorum amissorum, depositi officii. Revocavi ob oculos quae saepenumero mecum <confabulabatur> reverendissimus, illustrissimus Cardinalis Moguntinus, princeps meus, non abludentia epistolae tuae; nam ut est humanissimus perinde atque pius, nihil veretur vel familiarius mecum confabulari frequentius autem de fide ac religione, ubi non raro quaerit, quid nam me commoverit ad fugiendas partes contionatoris, suoque interim exemplo me impellat: Nisi, inquit, vox obstaret, uti nosti, exilis et fusca, et metus de memoriae debilitate, quanto animo praedicarem Christum! Nihil me puderet evangelii quam alioquin nihil pudet earum rerum quae norim aliquatenus ad episcopum syncerum pertinere: sacrifico, consecro templa, manum impono initiandis, summatim, exerceo caeremonias omnes et universam scaenam devotionis, neque laboribus neque sumptibus ferendis abstinens, quo tanquam illecebris quibusdam invitem ad verum cultum simplicium mentes. Atque utinam, quod esse optimum video, possem! Adoptissima foret ea provincia, quam piam sentio,<sup>1</sup> certe cupide plebi denunciarem. Quam religiose ex tam sancto loco declamarem. Et, ut vere dicam, quodammodo incertum animum reddidit huiusmodi cohortatio eius ac disceptatio. Agnoscebam hinc<sup>2</sup> meae parvitati celsitudinis tanti principis haud vulgarem invidiam<sup>3</sup> vel potius odium mei mihimet conciliari.<sup>4</sup> In illo omnia summa et naturae et fortunae, neque opibus tamen tradidit mores, quin se deiciens humillima quaeque non solum non aspernatum, sed velut affectatum ultroque in sese asciscit. Equidem vero

<sup>1</sup> 'sentire mihi videor,' which appears in the rough copy, is cancelled in the neat copy.

<sup>2</sup> 'huic' in the rough copy, appears as an interlinear correction in a different ink in the neat copy.

<sup>3</sup> 'parvitati' and 'invidiam' are supplied from the rough copy. The two words are missing in the neat copy but appear in an interlinear insertion in a different ink.

<sup>4</sup> Corr.: conciliare.

35 ignobilis et natalibus et vita et fortuna obscurus de me praebeo certe speciem aliquam nefarii  
pudoris, adeoque habeor per multos.<sup>5</sup> Et<sup>6</sup> contemnere videor eximias partes concionatorum  
quemadmodum strenue passim a proceribus hoc seculo passim contemnuntur;<sup>7</sup> asserendae  
veritatis desertor<sup>8</sup> quoque videor, quem revocare neque vehementissimae literae tuae neque  
40 principis mei profusa liberalitas hactenus poterat<sup>9</sup> qua me velut ad id muneris denuo authorari  
molitur, nihil non concedet, nihil suapte sponte in me non confert quod aut ornamento aut  
utilitati fore aut mihi utcunque expetitur existimat. Proinde ipsa opinione hominum tacita, non  
solum tua et principis mei sententia prope convictus atque damnatus sum, cum ignaviae tum  
inconstantiae (ne quid in me durius a suspitione prodem; omnes enim suam ignominiam  
prudenter dissimulant). At ferme admirantur quod honestas condiciones, successum optimum,  
45 felicitatem raram, perquam amabile ocium, his molestiis vilioribus aulae commutarim. Verum si  
quis Deus, quod aiunt, tuam ad haec legenda sine praeiudicio benevolentiam conciliarit (nam  
tecum mihi res est potissimum), efficiam profecto ut intelligas a me nihil esse, non dico  
excusatus, sed aequo consulto designatum quam quod me turbulentissimis, furiosissimisque  
concionibus (ut habentur hac aetate) abstinerim, homo nam compositus ad placiditatem.

Ea functio tranquilla et moderata videtur, modo eminus contempleris et mihi quondam  
50 adolescenti sic videbatur, iudicavique optimum, non solum voluntates temporarias negligere sed  
et cognatorum atque parentum iussa eius studio praeterire. Etenim pater moriens multis  
obtestabatur ne in hoc sacerdotium me temere conicerem, quod videret parum tutum et  
rarissimum inventu qui doctrina et vita praeluceret et qui atrocem et violentum affectum  
moderaretur, qui vere esset quod profitemur, nempe sacerdos et senior, castumque connubium  
55 impuro celibatu longe praestantius et<sup>10</sup> caetera id genus paterne asseverabat. Equidem vero  
mortui parentis hoc ultimum mandatum memori mente asservavi, saepiusque mecum reputavi,  
non tam verba illius quam animum atque iudicium eius advertens. Atque simul eximium ferme  
occurrit evangelii negotium, huius maiestatem tacitus expendi, praecones eius honore summo  
dignabar. Suggestumque ipsum ceu sanctum illorum gratia tantum non adoravi, usque adeo  
60 probitas vitae et integritas propendit ad religionem colendam, priusquam rerum fallaci  
experientia inficitur. Ah quoties tum votis expetivi eam dicendi facultatem quae ecclesiasti  
sufficeret, quoties gemui fraudem immersis scoticis commentariis, quoties reliquae farragini  
disputationum theologorum navaveram operam et improbe incubui, et navavi etiamsi operam me  
probe ludere subodoravi<sup>11</sup> et spinis illis me magis atteri, non vero<sup>12</sup> expoliri ingenium neque  
65 etiam pietati accessionem, sed pertinaciae fieri, tantum ne ad pugnam et impudentiam  
asseverandi non intellecta instruebamur. Nihilosecius tamen fortiter devoravi omnia taedia  
barbariei, invita (quod aiunt) Mynerva, sub expectatione meliorum et futuri proventus. Praestitui  
mihi virum imaginatione et annis et autoritate grandem, qui candide, qui potenter e pulpito  
Christum mansuetissimum inculcasset populo attento et in illius voce, in vultu illius haerenti,

---

<sup>5</sup> Corr.: multis; in the neat draft 'pro' is cancelled and replaced with 'per,' but the ending of 'multis' is left unchanged.

<sup>6</sup> The word order of this sentence has been changed in the neat copy. The words 'Illis' before 'videor' and 'illas' before 'partes' have been removed.

<sup>7</sup> 'Talis inquis et ego multis' – this sentence fragment appears in the neat copy at this point, but is cancelled.

<sup>8</sup> 'et obstinate desertor' has been added in the draft and appears in the neat copy as an interlinear insertion in a different ink.

<sup>9</sup> The draft has 'poterit.'

<sup>10</sup> 'et' has been inserted in the fair copy in a different ink.

<sup>11</sup> The draft has 'subodorabar'.

<sup>12</sup> The draft omits 'vero'.

70 exclamans interim: O felicem cui contigit plebem inflammare suo igni ad amorem immortalitatis, ad synceritatem innocentiamque vitae, ad malorum tolerantiam, ut inter se vivant innoxii, alius alium non ledat, laesi ne retalientur. Quare ...<sup>13</sup>

---

<sup>13</sup> The text breaks off here, both in the draft and in the neat copy.